15 Denique. *Reſpice in nos*, ut gratia præſens evocet meritò futuras, profuturas tempore gratias. Ne inſtar cameli flecti videaris nobis, donec accipias; *Reſpice in nos.* Reſpectus in noſtra, mundo ineſt: veſtrorum deſpectus in nobis; quia gratiam pro gratia intendimus, dum vos in nos reſpicitis propter quæſtus importunos. Homines propter homines aſpicimus, eſtò pauperes; non menſuratos fortunæ calamo, ſed proximorum honore commendatitio. Vos divites quæritis: ſeu potiùs divitias in homine, cùm pauper, ut experiris, iaceat ubique. Pauper & claudus gemis. Speciem tantùm reſpicimus hominis; etenim ultrò extendimus manum; ut erigamus hominem ab omnibus deſtitutum. Congruum enim erit, ut in nos intentè reſpicias; ne in noſtra intendens, miſerabilis iaceas. In pretio nobiſcum pretium non eſt, ſed argentum ſine pretio: igitur turpiſsimus erit amicus, quem conſtruit cenſus.

Gratia obtinetur, ubi non illa, ſed amicus diligitur.

16 Servator Noſter Dominuſque Ieſus immortalitatis largitor, & hominum amor, poſtquàm in trophæum inauditæ victoriæ, pro memoria admirabilis triumphi, linteamina reliquerat in ſepulchro, victor rediens de barathro, ac tyrannum trudens vinculo; ut ſe conferret virtute divina glorioſum, in quem cruce reſeraverat paradiſum; decrevit Eccleſiæ Militantis Petro credere claves, & curam tradere Dominici gregis. Prius enim interrogavit ad Mare Tiberiadis de merito eligendi, ut collocaretur in ſolio aptus dignitati, dixitque Simoni: *Simon Ioannis diligis me*? Quorsùm hæc? Diligit. At perpende in articulo electionis, *Me.* Quid ſi amat? Quem ergo, ſi Chriſtus de ſe interrogat? Verba demonſtrant charitatis ſpecimen: ſi non te, quem modò poteſt diligere? Dignitatem.

Amor verus beneſactoris, non beneficij. Ioann. 21. 15.

Ratio patet ex contextu & modo reſpondentis & interrogantis. Summa dignitas illo in articulo conferenda Petro, meritorum & voluntatis electoris ſuffragio: & tunc qui accepturus reſpondet aptè, *Amo te*: igitur ubi dignitas conferenda, voluntas in conferentem ſuſpicioſa, dubia voluntas, reſpectiva comitas; quandoquidem plus ſæpe dirigitur ab ambitione amor in dignitatem, quam in affectuosè, vel meritò conferentem.

Nota. *Diligis me? Tu ſcis Domine* (haud fluxa fide infit Petrus) *quia amo te.* Recole *Quia.* Quare non dicit: *Quòd amo te*, in firmiſsimo amore? *Quia* poteſt eſſe particula cauſalis: *Quòd* ſignificat aſſeverationem certitudinis: & non dicit *Quòd* affirmativum, ſed *Quia*; ut rutilet in ſolido amore cauſa: quippequàm illum propter illum diligit conferentem dignitatem, verùm non per collationem. Te, propter te: te, quia te diligo. Non ſolùm quia duntaxàt diligo, ſed quia te per te, qui ſumma dilectione dignus, licèt non conferres munus.

Ibid. *Sine dilectione propria aſtruitur amicitia.*

17 Iuxta præclarum verbum quadrat confirmatio dignitatis. Contulit illicò ut dixit: *Paſce agnos meos.* Cur igitur ſemel & iterùm poſt collatam dignitatem, de amore Chriſtus interrogat! Ita habes: *Dicit ei tertiò, Simon Ioannis amas me?* Ut luceret reapſe dilectio Petri, iterata non fruſtrà interrogatione. Dum aliquid micat commodi, nonnunquam ſuſpicioſus amor. Ubi quod optatur obtinet, amor in corde deficit: Chriſtus interrogat de amore, poſtquam dignitatem contulit: igitur amor poſt dignitatem collatam, aſtruit perſpicuè amorem erga perſonam. *Paſce.* Diligis? Sanè. Verus amor eſt: ſtat etenim voluntas in accipiente, ſicut in expectante. *Diligis?* Confirmat gratitudo, exprimit confeſsio, indicat cordis in verbis patuli nobilis exhibitio: plauditur utique quaſi miraculum, quòd amor perſeveret poſt poſſeſsionem, ſicut fuerat ante collatam ab amore dignitatem: igitur ſæpe inter amicos retrocedit pectoris reverentia, dum ceſſat in corde reverentiæ cauſa. Patet in Stella Magorum, de qua alibi. Unde Petronius in *Satiric.*

Ibid. v. 17.

Amor cognoſcitur poſt beneficiū.

Amicitia mūdi, utilitas dūtaxat.

Nomen amicitiæ ſi quatenus expedit hæret,
Calculus in tabula mobile ducit opus.
Cùm fortuna manet, vultus ſervatis amici,
Cùm cecidit, turpi vertitis ora fuga.

Petr.

TAU-

TAUTOLOGIA SECUNDA,

FACIAMUS HOMINEM AD IMAGINEM, & ſimilitudinem noſtram, ET PRÆSIT PISCIBUS MARIS, ET VOLATILIBUS COELI, & beſtijs, omnique reptili, quod movetur.

Gen. 1. verſ. 26.

EXPOSITIO LITERÆ.

1 IGitur perfecti ſunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum. Aſtra ſcilicèt fixa cœlo, piſces deſtinati ſalo, aves vēto, pecora, arbores & reliqua ſolo. Aſtra cœlo fixa ſunt; ut ſuper terrā, viviđe ſine fine lucerēt: cætera elemētis ſparſa, ut varietate mundū pulcherrimè venuſtarent. *Diverſa animalia* (ut ait D. Thom. in 2. *Sent. Diſtinct.* 15. *q.* 2. *art.* 2.) *ad ornatum diverſorum elementorum pertinent: ſcilicet, aves aeri, piſces aquæ, cætera terræ.* Omnia propter hominem facta: deerat igitur propter quem omnia; & dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs, omnique reptili, quod movetur in terra.* Quod modò quaſi conſulendo dicit; *verſ.* 27. aſſeritur impleviſſe: ſubditur itaque, *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum:::& ait: Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram.* Formatio (quæ ſubintelligitur) hominis exprimitur ſignatè cap. 2. v. 7. ubi, *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* Quodquidem teſtimonium erit Tautologiæ ſubſequentis argumentum. *Haud prius Regem advenire oportebat* (infit Philo Iudæus de *Mundi Opificio*) *quam ei domicilium & palatium, & quibus indigebat, eſſent præparata.* Luculentiùs Chryſoſtomus. *Hom.* 8. *in Gen. Quaſi regem* (inquit) *in rebus terrenis præfecturus, priùs omnem hunc ornatum fabricavit, & tandem præficiendum hominem formavit, declarans factis ipſis, quanto honore animal hoc proſequatur.*

D. Thom.

Geneſ. 1. 27.

Geneſ. *Deus priùs fecit dignitatem, quā hominem.*

Phil. Iud. *Excellentia hominis.*

Chryſoſt.

Conditis ergo cœlo, & terra, ac decorè perpolitis, ſpecioſe inſertatis; haud aderat cœlum novum, & terra nova, aſtrum rationale, terra cœleſtis, ſcilicèt homo, cuius omnia ſubijcerentur imperio, imò & nutui. Graphica hypotipoſi, eſtò in pluribus cæcutiens, articulum huncce obumbravit Ovidius lib. 1. *Metamorph. Fabul.* 2.

Sidera cœperunt toto fulgeſcere cœlo:
Neu regio foret ulla ſuis animantibus orba,
Aſtra tenent cœleſte ſolum, formaque Deorum:
Ceſſerunt nitidis habitandæ piſcibus undæ,
Terra feras cepit, volucres agitabilis aër.
Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet:
Natus homo eſt.

Ovid.

2 Hanc celſitudinem nactus eſt homo, uti notat Iacobus Pontanus hìc; primò, quia animal ſanctum: ſecundò, quòd mentis præſtantiſsimæ compos: tertiò, quòd cæterarum animantium meritò princeps. Quapropter Cicero de *Univerſ.* ait: *Homines Deorum immortalium quaſi gentiles, omnium animalium tenent principatum.* Hoc quidem pleniſsimum fuiſſe dominium in ſtatu primævæ felicitatis (etſi in aves, neſcio quo ductus dubitet Oleaſter) inconcuſſum ſanè apud PP. & Expoſitores: conſtat etiam pluribus Sacræ Paginæ teſtimonijs, infrà videndis. Singula, ne de aliquo ambigatur, concinuit, & concinnavit expreſsè Pſaltes Regius. *Omnia* (ait) *ſubieciſti ſub pedibus eius: oves, & boves univerſas, inſuper & pecora campi, volucres*

Iacob. Pontan. *Omnium præſes.* Cicer.

Pſalm. 8. 8. 9.

cœ-

cœli (perpendat Oleaſter) & *piſces maris* : quæ quidem periodus eſt lepida periphraſis poteſtatis , quam in mundi exordio à Deo gratis accepit excellentia Protoparentis.

Torniell. Cuius abſolutiſsimus principatus. Perer. Chryſoſt. Ius habuit, & uſum principatus. Haye.

Colligitur etiam ab aliquibus abſolutus prorſum principatus; tùm quia nulla eſſet homini in præcipiendo difficultas(notent ergo præſides, quòd niſi nudi affectibus,in præcipiendo eſſe difficultates) tùm quia nulla animalibus in obediendo ineſſet contrarietas: ut placet Torniello hic *num.*29.tùm ex adductione animalium ad Adam:& denique ex colloquio mulieris cum ſerpente,uti aſtruit Pererius hic lib.4.*num.*62.Priùs myſterium imperij reſeraveratChryſoſtomus *Homil.* 9. in *Geneſ.* dicens : *Feræ ab initio non erant homini terribiles;nam cùm adduxit Dominus beſtias ad Adam , ut videret , quid vocaret eas, non reſilijt , ſed tanquam Dominus ſervis nomina impoſuit : & ſi terribiles fuiſſent hominibus beſtiæ, mulier ſerpente conſpecto,non maneret,nec conſilium accepiſſet.*Liquet ergo(quāvis ius,& uſum principatus diſtinguat Haye in *Arbor.Vitæ*) perfectiſsimum dominium in animantes Adamo tributum;ut eis ad libitum uteretur , & obſequium Conditoris in homine plus polleret,atque maieſtas præſtaret.

Homo animal imperio natum. Baſil. Auguſtin. Præſes, quia rationalis. Lyr. Perer. Torniell. D.Thom. Subiectio animalium naturalis. Iacob. Pont. Cœl. Rhodig.

3 At quare, & quomodò omnia fuiſſe ſubiecta nutui,& voluntati Adami, exprimere;hoc opus , hic labor. Sententiarum fluctibus æſtuat quæſtionis huius tumidum fretum,huc etiamque illuc trahitur veritatis ſtudium.Baſilius *Homil.*10.in *Hexaëm.* Eò quòd ſit *Animal imperio natum*, aſſerit homini cunctorum animalium creditum fuiſſe dominium. Unde Auguſtinus lib.3.de *Geneſ. ad liter. cap.*20. notat ſacræ periodi nexum : nimirùm , ad imaginem Dei formationem hominis,& omnium animātium traditionem in obſequium poteſtatis: ſiquidem quia rationalis , irrationalibus antecellit,& principatur iurè. Recta videtur cauſa, & munere dignitatis,& reſpectu finis:quippequàm ſicut omniū fuit natura ſuperior, ita illi uti naturalis ſubiectio animalium facilior & promptior:nullaque vel irrationalia præpedirentur difficultate,aliàs vacuè,& gratis aberrarent à fine. Sic Lyra hìc,Pererius ubi ſupr.*num.*63.& Torniell. *num.*28. ſequentes D. Thomam 1. p. q. 96. *art.* 1. Ubi ex prudentia hominis,& providentia Deitatis,& ex ipſo naturæ proceſſu,aſtruit hominis in animalia connaturale dominium. *Sicut enim in generatione rerum intelligitur quidam ordo , quo proceditur de imperfecto ad perfectum : nam materia eſt propter formam , & forma imperfectior propter perfectiorem : ita etiam eſt in uſu rerum naturalium. Nam imperfectiora cedunt in uſum perpectorum. Plantæ enim utuntur terra ad ſui nutrimentum , animalia verò plantis , & homines plantis , & animalibus : unde naturaliter homo dominatur animalibus.* Hactenus D. Thomas. Vide etiam Iacobum Pontan. ubi dudùm , & Cœl. Rhodigin. *lib.* 2. *cap.* 17. & 18.

Alapid.

De præſidentia hominis ob intelligentiæ naturalem præſtantiam , ſiquidem modò habet, dubium non eſt.In præſtantia imperij (circa animalia , quæ nutus humanos aliqualiter percipere poſſunt, & *quaſi politicè* , ut obſervat Alapide hìc , igitur longè aliter occupata hominis nullatenùs percepiſſent imperium,ad cuius uſum quamdam habent participationem rationis, ſecundùm æſtimationem naturalem) quaſi in cardine vertitur difficultas,& opinionum varietas:quibus diſcuſsis,elucebit Protoparentis dominium,& quare ac quomodò traditum orbis imperium.

Haye. Torniell. Perer. Homini ſubijciuntur ratione imaginis Dei.

4 Ioannes de la Haye in *Arbore Vitæ* autumat obedientiam piſcium , avium,iumentorum & reptilium naturalem eſſe , eo quòd homo ad imaginem Dei formatus eſt.Torniellus ius ampliſsimum in cuncta tribuit Adamo propter naturæ rationalis excellentiam,& imaginem Dei eidem naturaliter inditam.Pererius propter hominis induſtriam,& ſagacitatem(ſubindè etiam ſignat ſpecialem curam Dei) quia illo in ſtatu floreret ingenio, in cuncta omnium proprietatum prævaleret cognitio,præcallente induſtria,quo modo,arteve,ac tempore animalia,vel ferocia,cicuranda.Si modò condoceſiunt,facilius illo tunc cicurarentur.Videmus Pſittacos,picas,ficedulas,aliaſque volucres ſagacitate capi, & ita mitificari, ut eſcarum amore ſonos humanarum vocum diligenter imitentur. Perſius in *Prolog. Satyr.*

Perſ.

Quis expedivit Pſittaco ſuum chaire,
Picaſque docuit noſtra verba conari?
Corvos quis olim concavum ſalutare?
Magiſter artis ingenijque largitor,
Venter : negatas artifex ſequi voces.

Diverſa animalia cicurata.

Porus Rex,quem Alexander Magnus debellavit , habuit elephantem in genua Principis procumbentem. Hanno Chartaginenſis primus omnium leonem demitigavit , & ad currum vinxit.Aiax Locrenſis ſerpentem,Throas Achaicus draconem , & Heraclides fovit aſpidem. Celebris fuit Cerva Sertorij,Tigris Auguſti,Urſa Pythagoræ, Turdus Agrippinæ. Vide Plinium *lib.* 8. *cap.* 17.*lib.* 10.*cap.* 5.& 74.Maiolum p. 1. *Colloq.* 8. & 9. Laurentium Beyerlinch,
&

& Ioann.Raviſ. Textor.in *Officin.lib.*7.*cap.* 29. 30. 31. Cervus Sylviæ celebratur à Virgilio lib. 7. *Æneid.* v. 490.

Virg.

Ille manum patiens , menſæque aſſuetus berili
Errabat ſilvis , rursùſque ad limina nota
Ipſe domum ſera quamvis ſe nocte ferebat.

Ex Cypariſsi ab Ovidio lib. 10 *Metam. Fabul.* 3.

Ovid.

Gratus erat Cypariſſe tibi;tu pabula cervum
Ad nova , tu liquidi ducebas fontis ad undas.
Tu modò texebas varios per cornua flores :
Nunc eques in tergo reſidens huc lætus & illuc
Mollia purpureis frænabas ora capiſtris.

Sagacitate vincit homo animalia cætera. Galen.

Multa animalia & mole,& corporis robore præſtant , & quorundam ſenſuum acumine hominem longè ſuperant:nihilominus tamen ipſe omnium dominus,& princeps, ſagacitate, callidioreque conſilio timetur & meritò. *Manuum adiumento in profundum aquæ piſces capit , in terra feras & belluas domat , & è ſublimi aëre volucres in ſuam poteſtatem facilè redigit.* Ait Galenus *lib.* 9. de *Uſu partium* , cap. 2.

Alapid. Ei ſubiecta & ratione naturæ , & ſpecialis providentia.

DeniqueCornelius Alapide perfectiſsimum homini tribuit in animantes principatum,partim ex prudentia & acumine rationalis naturæ,partim ex favore divinæ peculiaris providentiæ. Per Angelos utique (ſicut adducta ad Adam , poſteaque ingreſſura in Arcam) Deus , ut homo exerceret imperium ; phantaſiam , & animantum corpus flecteret ad nutum : & ita pro libito hominis obſequium ſubiectionis expromebat opportunè ſtatum felicitatis.

Huiuſmodi dominium, vel in ſtatu iuſtitiæ originalis, fuit privilegium.

5 Hi modi dicendi non diſplicent , ſed ex toto non placent : explicandæ ſunt ſententiæ, ut liquidò conſtet,efformari in placitis eumdem ſenſum,eorum qui intendunt vigiles in eumdem ſcopum. Propter excellentiam arbitror rationalis naturæ concedi Adamo privilegium principatus,ſed ut privilegium;ne iudicaret,& ſibi vendicaret connaturale dominium : equidem,quantum auguror , conditionate tantum creditum homini , ſi perſiſteret in iuſtitia originali:ſin minùs exoleſceret privilegium , & pugnaret orbis terrarum contra inſenſatum.

Bernard. Damaſc. Subiectio animalium non fuit abſolute conceſſa homini ſed conditionatè. Nec preciſè propter imaginem Deitatis,& excellentiam rationis.

Conſtat ergo ſubiectio ferarum,iumentorum,altilium & reptilium, cum poteſtate hominis in cuncta ; non abſoluta , ſed reſpectiva. Primum patet : nam homo hoc in ſtatu & eſt imago Dei , & præcellit ratione naturæ (à qua præſtantia , & excellentia) animantia cuncta.*Imago quippè Dei adhuc in gehenna uri poteſt , non exuri : ardere , ſed non deleri.* Ait Bernardus *Serm.*1.in *Annunc.*cum Damaſceno *lib.*2.de *Fide,cap.*12.Si ob Dei imaginem,& conditionis rationalis decorem,præſidem ſubſequeretur dominium; obſequerētur homini poſt peccatum: igitur bona naturalia non amiſit ; quoniam piaculum naturam non deſtruit. Tot portenta à Deo propter amicos facta , nequaquam adhuc poſt lapſum notarentur ut portenta. Plagæ in Ægyptum per culices,muſcas,ranas,& reliqua; Urſi Eliſei , Leones Danielis , Vipera Pauli, Corvus Benedicti, aviculæ Franciſci , & piſces Antonij haud viderentur nova ; igitur perſtat naturæ excellentia , & imaginis præſtantia. Non ergo congrua videtur cauſa obedientiæ animalium, & poteſtatis Primiparentum,imago Deitatis, & character naturæ inſignioris : aptiùs aſsignabitur ſpeciali dono Dei;ut illa ſingulari poteſtate auctoratus Protoplaſtus magis polleret,& nitor gratiæ originalis in homine rutilaret. Hi enim præfati Sanctiſsimi Viri in miraculis dominium illud primum recuperarunt ; quia ad illam primævam innocentiam acceſſerunt : alias haud interriti delectarentur ab ubere ſuper foramine aſpidis , & mitterent manus ſuas in caverna reguli.Ut quid novum prædicantur huiuſmodi miracula : ſi imagini deberentur,non eſſent mira. Perſeverat utique Deitatis imago, & nequaquàm videmus leonem accubare cum hædo.

Oleaſter. Si ex gratia, non ex natura. Chryſoſt. Excellentia fuit in poteſtate.

6 Nec ſagacitati humanæ vendicabitur iurè poteſtas , quandoquidem non eſſet obſequium,ſed naturale dominium.Omnia modò ſubijciuntur ſub pedibus hominum.Toto cœlo diſtat uſus principatus hominis poſt lapſum, à poteſtate quam habuit è terra adama ſublatus in paradiſum.Ideo Oleaſter hic v.28.pro *Dominamini piſcibus maris*,&c. legit : Ut *extendatur potentia in piſces maris*,&c.Ubi quid per ſe , & quid per donum in ſubdita poſſe,ſignatur: igitur aliud nactus eſt munere gratiæ,aliud verò ſagacitate naturæ. Si poſt delictum , & legis tranſgreſsionem audacem , acumine, calliditate, ſtratagemate , ac congenita prudentia ſubigit animalia,& ferocia ; nullo modo in gratia originali eius extenderetur potentia. Quorſum ergo peculiaris cura Dei conſtituta ab Auctoribus ; dum indita ſagacitate potiretur animalibus?Abſonum ſanè animantibus pro libito(ut aſſerunt) principari; & calliditate,atque induſtria,ut illa ſubdantur,uti.*Traduntur Adamo*(ait Chryſoſtomus *Homil.*12. in *Geneſ.* Univerſi belluæ, pecora,piſces & volucres aëris) *ad declarandam mirificè excellentiam poteſtatis.* Quænam

nam ergo fuiſſet excellentia poteſtatis in animalia;ſi modò ingenio, & arte aſſequitur vel trucum officia?

Ex ipſo Torniello hìc *num.* 29. aſtruitur ſenſi potiſsimum argumentum. *Prorsùs veriſſimum eſt*(inquit) *neque quemlibet hominem ad quælibet animalia, vel capienda, vel manſueſacienda eſſe idoneum, neque ullum omninò reperiri hominem, qui naturaliter cunctis irrationalibus imperare, ac ut ſibi ſemper obediant, ſicuti prius ſolebant, efficere queat.* Obſerva, *Sicut prius.* Si propter excellentiam imaginis, & rationalitatem homini donatum fuiſſet dominium; in quolibet hominum modò inveniretur obſequium: ad imaginem quippe Dei factus eſt homo. Si in quolibet non, ius obedientiæ non erit excellentia rationis, nec Dei imaginis. Speciei verò (quia nullus prævalet ad omnia, ut aſſeritur) ſi principatus in animalia tribuitur; haud influet in poteſtatem, hominis excellentia: quippequam in quovis relucet rationalis præſtantia. Non ergo ſicut modò, ſed *ſicut priùs*, imperium hominis conſiderandum. Modò obtinet laborioſè, non placidè. Modò decipula ſedulitate: priùs autem Dei ſpeciali favore.

Torniell.

Non eſt ſubiectio modò, ſicut priùs.

7 Secundum verò, ſcilicet dominium fuiſſe conditionatum, æquè peſpicuum arbitror, ac dominium. Stabilitur à Ss. Patribus huiuſmodi imperium tanquam donum, & huiuſmodi. *Ubi peccatum intravit, ablata eſt hæc poteſtas, & dignitas*: dicit Chryſoſtomus *Homil.* 9. in *Geneſ.* Violatæ legis demerito Adamus exauctoratur. Ecce Adam quaſi unus ex nobis. Ineſt adhuc homini lapſo dignitas ſpectabilis rationis; ſed prævaricante, ſtatim evanuit poteſtas ſuperioris dignitatis. *Ablata eſt*: minimè diceretur ablata, ni fuiſſet homini reſpectivè conceſſa. Nec valet diſtinctio iuris & uſus principatus, ſuprà à Ioanne de la Haye ingenioſè excogitata. Uſus enim in iure, & ius fundabatur in gratia: qua infeliciter amiſſa per originale piaculum, neceſſariò fugit in animantia dominium. Perperàm ergo ſubſiſteret collatio iuris, deſtructo fundamento dominationis. Ita Iuriſperiti: vide Richardum Zoucheum in *Element. Iuriſprud. part.* 3. *Sect.* 5. & 6.

Ubi peccatum intravit, imperium amiſit.
Chryſoſt.

Richard. Zouch.

Nec etiam quoniam poſt lapſum tantillum aliquale dominium in animalia Dominus permiſit, vel reſtituit Adamo (quo ſenſu intelligitur illud *Sapientiæ* 10. v. 2. *Eduxit illum*) ſcilicèt Adamum (*à delicto ſuo, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Ideſt ut ait Iacobus 3. v. 7. *Omnis enim natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentium, & cæterorum domantur, & domita ſunt à natura humana*) inferre licet, ius hominis non amiſſum, ſed uſum tantum. Tunc homo temerator perdidit, quia Dominus aliquomodò *reſtituit*, ut ait Alapide in *Geneſ.* 9. v. 2. Quapropter Chryſoſtomus *Homil.* 9. in *Geneſ. Mutilatum* dicit hominis *principatum.* Remanent quidem veſtigia quædam prioris illius æſtimabilis poteſtatis, & miſericors Dominus, quamvis offenſus conſuluit iuvamini hominis. Ita Pererius *num.* 69. & Torniell. *numer.* 29. *Deus hominis imperio ſubtraxit animalia* (notat Chryſoſtomus ubi dudùm *Homil.* 12.) *ut quæ ad declarandam magis hominis excellentiam poteſtatis, quàm ad utilitatem eius pertinebant, ut ſunt magna, & ſæva animalia.* Patet igitur, quòd cervix ſuperba animalium ſubdita voluntati hominis, erat ſignum excellentiæ poteſtatis.

Et etiam ius imperij.
Sapient.
Iacob.
Alapid.
Chryſoſt.

Perer.
Torniell.
Chryſoſt.
Sæva animalia Deus miſericors removit ab homine.

Huiuſmodi poteſtas haud relucebat in exarmatis, imbellibus, & cicuribus animalibus (quæ vocantur ſervitus hominum; ut pluſquàm per ſe, cognoſcantur per ſervitium, ſeu domino miniſterium, iuxta illud Pſalm. 103. v. 14. *Producens fœnum iumentis, & herbam ſervituti hominum.*) ſed in crudelibus, & ferocibus: quam quidem habuit in paradiſo, antequàm de ligno guſtaret vetito; & minimè modò. Modò, etiam miſericordia Conditoris, duntaxàt conceditur terror in animalia; quæ ſanè ab illius dominio ſemota, adiuta tranſgreſsione originali, poteſtatis confregerunt iuga. Patet *Geneſ.* 9. v. 2. ubi Deus dilecto Noë & filijs dixit: *Terror veſter & tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli, cum univerſis, quæ moventur ſuper terram: omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt.* Terror & tremor animalium, eſtò crudelium, nequaquàm aſtruit in hominibus ius poteſtatis ante prævaricationem collatum: aliàs quo ad ius principatus, in gratia originali conſtitutum; eſſet modò humana conditio ſicut priùs: quod inficiatur (uti vidimus *num.* 6.) Torniellus.

Cur animalia dicantur ſervitus hominis?
Pſalm.
Geneſ. 9. 2.

8 Modò quoque piſces humanam umbram verentur, ſicut refert Baſilius *Homil.* 10. in *Hexaëm.* Elephantes hominum veſtigia formidant: Plin. *lib.* 8. *cap.* 4. Leones revocant impetum, ſono tantùm vocis humanæ: Ambroſ. *Epiſt.* 38. ad Horont. Serpentes fugiunt. Raviſ. Text. *Offic. lib.* 8. *cap.* 40. Neque hæc faciunt, niſi amore libertatis. Ubi ergo ius? Hoc eſt terror, non poteſtas: quam diſtinctionem aſsignat Eccleſiaſticus Siracides *cap.* 17. v. 3. & 4. *Creavit Deus hominem* ::: *dedit illi poteſtatem eorum, quæ ſunt ſuper terram*: (deinde poſt lapſum, ut claret in Noë) *poſuit timorem illius ſuper omnem carnem: & dominatus eſt* (ſcilicet induſtria) *beſtiarum & volatilium.*

Baſil.
Plin.
Ambroſ.
Raviſ. Text.
Eccli.

Ut autem dilucefcat veritas aſſertionis, exprimenda eſt in illo ſtatu excellentia poteſtatis.

Adſta-

Adſtabat homini leo, (inquit Baſilius Seleuc. *Orat.* 2. in *Geneſ.*) *blandè ſubſultans, lupus inter oves pacatè agebat, ſerpens hominis erat ſubiectus arbitrio.* Et Anaſtaſ. Sinaita lib. 7. *Hexaëm. Qui dominatur animalibus & piſcibus & volucribus iuſſu Dei, dicit leoni, Veni, & venit: & aquilæ, Ingredere, & ingreditur: & piſci, Appropinqua, & obedit: & draconi, Pereas, & ſtatim expirat.* Denique Ambroſius lib. 6. in *Hexaëm. Videbatur elephantis nihil habere natura procerius, atque robuſtius, nihil terribilius leone, nihil ſævius tigride: verum hæc ſerviunt homini, & naturam ſuam humana inſtitutione deponunt: obliviſcuntur, quod nata ſunt, induuntur, quod iubentur. Quid multa? Docentur ut parvuli, ſerviunt ut famuli, adiuvantur ut infirmi, verberantur ut timidi, corriguntur ut ſubditi: mores tranſeunt in noſtros, quoniam motus proprios perdiderunt.* In gratiæ primitivæ ſtatu pro libito uteretur Adamus animalibus quibuſvis, nec ſe à facie hominis propter libertatem abſconderent: imò ut aſſerit D. Thom. 1. p. q. 72. ad 6. *Animalia venenoſa ei noxia non fuiſſent.* Nec hominis, nec animalium per peccatum eſt innovata natura. In illa ergo non ius eſt, ſed terror: non poteſtas (quippe evanuit gratiæ originalis authoritas) ſed induſtria & ſagacitas. Unde ſi in illo innocentiæ feliciſsimo ſtatu noxia innoxia, crudelia mitia, trucia blanda homini fuerunt, & fuiſſent; proculdubio aſſerendum, dominium illud fuiſſe conditionatum.

In quo verſabatur erga animalia cuncta hominis dominium?
Baſil. Sel.
Anaſt. Sinait.
Ambroſ.

D. Thom.
Obedientia animalium erga Adam fuit conditionata.

9 Ex tropologia (quam videris apud Gregorium lib. 21. *Moral.* in Iob. cap. 11. Ambroſ. lib. 6. *Hexaëm.* cap. 3. Baſil. circa idem *Homil.* 10. Ioann. Chryſoſtom. *Homil.* 23. ad Pop. Antioch. Alapide, Lyr. Hugon. & Perer. lib. 4. de *Creation. Homin.* Diſp. 2. num. 74.) deducitur liquidò ratio poteſtatis aſſertæ, & cauſa potiſsima conſentanea rationi. Per *Piſces*, mollities carnis; per *Volucres*, cupiditas honoris; per *Reptilia, & Beſtias*, pravi corporis affectus, iraſcibilis & concupiſcibilis inordinati motus, atque varij hominis obumbrantur appetitus: habent etenim ſentire cum animalibus. Hi ergo paſsionum, ſeu affectionum motus ita ſubditi fuerunt imperio rationis; ut idem excuterent ſimul cum rationis auctoritate, ſimulac ratio iugum ſuaviſsimum legis, & voluntatis divinæ. Condecebat ergo, ut pars inferior cederet ſuperiori; quandiù ſuperior Deo obediret imperanti: at commiſſo legis deſpectu, contracto mortis reatu, ſtatim immunes obedientiæ appetitus ſenſitivi defecerunt à ratione; & paraverunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent ex oculto, vel rectos corde. Si ea lege appetitus ſubacti; non ſecus animalia ſignificantia appetitus: quo claret in ea hominis imperium conditionatum; ſiquidem illicò in foribus peccatum primum. Simul ergo extiterunt fractio præſcriptæ legis, & extollentia petulans rebellis carnis. Erit igitur in animalia reſpectivus principatus, ſicut floruit rationis in ſenſitivos affectus: in his perdidit homo ius pleniſsimæ poteſtatis, & in animalia etiam amiſit dominationis. *Poſtquam autem Conditori ſubiectus eſſe noluit, iurè dominium perdidit*: ait Vener. Beda hìc. Et Haye: *Omnium erat princeps, præſertim quandiù Dei præceptis obediens.*

Quid ſignificet?

Simul extiterunt fractio legis & rebellio carnis.
Bed.
Hay.

10 Martinus Delrius hìc, etiam pro ſenſo exprimit ſolidum & ſubtiliſsimum cogitatum; indagans myſterium in verbo æquivoco, quo hac in periodo explicatur in animantes dominium. In Hebræo eſt pro *Dominamini*: *Urdu.* Quod ambiguum. Si deducitur à *Radah*, dominari, ſi verò à *Iarad*, decidere ſignificat, ſeu deſcendere. Quandiù ſpiritus Deo, tandiù rationi caro, & animalia obtemperabunt homini tanquam domino. Principabitur cunctis Adamus, ſi Dei imperio & voluntati permanet ſubditus: ſin autem deſcendet, ſeu miſerrimè corruet; quandoquidem ea ipſa, quæ innocenti ultrò præmittebant officia; Tantali pondere experietur infenſa. Conſtat ergo iam, qua cauſa & modo primo plaſto ceſsit orbis & eorum, qui in eo habitabant, dominium: atque intelligentia præiacti teſtimonij ſigillatim illuſtrandi. *Faciamus* nempe *hominem ut præſit*, &c. Imperium quidem fuit pleniſsimum in cuncta perſiſtente originali iuſtitia: datum optimum, & donum perfectum, deſcendens à Patre luminum, non ratione imaginis, nec excellentia rationis, ſed tanquam nitor & ſpinther felicis ſtatus, in quo fuerat homo à Domino conſtitutus: & quo amiſſo, amiſit ius humana natura, quod profectò fundabatur in originali gratia.

Dominar interdùm ſignificat deſcendere.

11 *Faciamus.* Nequaquàm ad Angelos verba ſunt, uti autumarunt Iudæi; ſed Filium, & Spiritum-Sanctum alloquitur Deus Pater. Rutilat Ss. Trinitatis myſterium, ut conſideres in hominis ſummitate totum Deum occupatum. Ita Gregor. *lib.* 9. *Moral. cap.* 27. Rupertum *lib.* 2. de *Trinit.* videris. Auguſtin. lib. 16. de *Civit. Dei*, cap. 6. Ambroſ. lib. 6. in *Hexaëm.* cap. 7. Baſilium *Homil.* 9. in *Geneſ.* denique Petrum Damianum, cuius verba utpotè aurea præ cæteris ſelegi. *Faciamus: reverendum re vera privilegium, nec ulli traditum creaturæ. Creatur illa ſublimior numeroſitas Angelorum, & elementorum omnium ordinatur variata connexio ſed Omnipotentis præſentia tantùm opus alta taciturnitate proſpectat. Ut verò venitur ad hominem, accingit ſe Trinitas ad creandum; ut creaturæ dignitas Creatoris privilegio clara*

Myſterium Ss. Trinitatis micat in fabrica hominis.
S. Dam.
Quale hominis privilegium in creatione?

eſſe monſtraretur. Hucuſque Damianus *Serm.* 33. Vide etiam Nic. Nancelium in *Analog. Micror. lib.8. cap.*13. Brevi verò & eleganti periodo accinuit Alcimus Avitus lib.1. Geneſeos *verſ.*317. Trinitatis individuam ſubſtantiam,& triplicem hypoſtaſim,dicens:

Alcim. Avit.

———— Teſtor quem fecimus orbem.

12 Priſcorum etiam Ethnicorum mentibus caligine ſuperſtitionum obductis (haud æquè ut exortum eſt in tenebris lumen rectis) iubar aliquod innotuit myſterij Ss. Trinitatis. Unde exclamat Orpheus in *Hymn.*

Orph. Athan. Kirch. Suid.

Illum non video , eſt enim caligine plenus.

Ethnicis innotuit aliquatenus Trinitatis Sacroſanctæ Myſterium.

Suidas de Mercurio Triſmegiſto loquens , ait : *Fuit ſapiens Ægyptius ; floruit autem ante Pharaònem* (ſub Abrahæ tempus de ſtirpe Chanaan floruiſſe , aſſerit Athanaſius Kircherus in *Obeliſco Pamph. lib.* 5. *cap.* 2.) *dictus eſt Triſmegiſtus , ideſt Ter-maximus,quia de Trinitate locutus eſt , dicens : In Trinitate unam eſſe Deitatem , ſic : Erat lumen intellectuale ante lumen intellectuale, & erat ſemper mens mentis luminoſa , ac nihil aliud erat eius unitas , quam Spiritus omnia circumplectens. Extra hoc non eſt Angelus , non ſubſtantia quædam alia. Omnium enim Dominus, & Pater, & Deus, & omnia ſub ipſo,& in ipſo ſunt : nam Verbum eius abſolutiſsimum eſt , & fœcundum , ac Opifex in fœcunda natura.* Hæc Suidas verb. *Hermes Triſmegiſtus.* Qui etiam in *Pimandro* fol.13. *edit.Baſil.* ait : *Lumen illud ego ſum, mens Deus tuus : Mentis verò germen,Verbum lucens Dei Filius,quorum unio vita eſt.* Et fol.46. *Quod ſanè non eſt , eſt ipſe. Ipſe omne quodcumque genitum , ipſe omne quod nunquàm genitum ; Mens quidem intelligens , & Pater fabricans , Deus efficiens bonum, bona faciens omnia.* Idem iterat in *Hymno* Deo Triuni.

Quid protulerit Merc. Triſmegiſtus?

Quid dixerit Zoroaſter? Kirch. Picus Mirand.

13 Zoroaſter, qui Cham vel filius eius Meſraim (ut placet Kirchero ubi ſupr. *lib.* 1. de *Origine liter. & Obeliſc. cap.* 2. & Pico Mirandulano *Epiſt.* ad Marſilium Ficinum Platonis Interpretem) Hermeti Triſmegiſto ſynchronus , ſive coævus , ita de Deo cogitat : *Toto enim in mundo fulget Trias,cuius Monas princeps. Omnia perfecit Pater,& tradidit Menti ſecundæ. Mentis enim mens ea eſt , quæ mundi artifex eſt ignei.* Pythagoras autem : *Ipſum omne , ac omnia tribus ſunt definita : finis , medium , ac principium ipſius omnis numerum habet , hæc autem Trinitatis.* Unde numerus Ternarius quaſi arcanum celebrabatur apud Antiquos: Iovis trifidum fulmen, Neptuni tridens, Luna triformis, Apolo trinonymus, Plutonis canis triceps, conceptio Herculis trinoctialis, tres denique Gratiæ, Parcæ,& Furiæ. Quo perſpicuè intelligitur illud Virgilij *Bucolic. Ecglog.*8.v.73.

Quid Pythagoras?

Virgil.

Terna tibi hæc primùm triplici diverſa colore.
Licia circundo , terque hæc altaria circum
Effigiem duco : numero Deus impare gaudet.

Triangulus ſignum ſalutis, victoriæ , & ſanitatis.

Gaudet ; quippe , ut ait Plutarchus lib.9. *Sympos*, ſeu *Quæſt. Convival.* q.3. *In confeſſo eſt, numerum primum perfectum omnium eſſe ternarium : quod principium, medium , & finem habeat.* Ideo pro ſymbolo ſalutis, ſanitatis & victoriæ expoſitus olim triplex triangulus invicem inſertus : de quo videris Vincent. Chart. de *Imagin. Deor.* fol.62. Mercurius triplici capite ibid. fol.224. & apud Pomey in *Hiſtor. Deor.* p. 1. ac denique ſerpens è cœlo in terram deſcendens triplici capite coronato : uti aſtruit Kircherus ubi ſupr. lib.3. cap.13.

Sententia Platonis.

14 Plato *Epiſt.* 2. inquit : *Circa omnium Regem ſunt omnia ; & illius cauſa omnia : & ipſe eſt omnium rerum pulchrarum cauſa : ſecundum ad ſecunda , tertium ad tertia.* Hoc *ænigma* , ut ipſe ibidem ait , variè interpretantur Ioannes Serranus & Henricus Stephanus in Platonem. Sententia quidem brevis,& ſalebroſa, ſed myſterijs profectò plena. Inter tot duorum tantùm Interpretum ſenſa ſelegi , & ſubſcribo. Primus eſt Theodorus Platonicus , qui apud Proclum ita loquitur. *Tres quidem dicit eſſe Opifices; nec eos ordinat mox poſt unum , ſeu ſingillatim: ſed ante Deos intellectos,& intelligentes. Alium vocat Mentem ſubſtantialem: alium ſubſtantiam mentalem: tertium fontem animarum : ac primum individuum , ſecundum per omnia diſtributum , tertium facientem per ſingula diſtributionem.* Secundus verò Marſilius Ficinus hic interpretans ait : *Circa omnium Regem cuncta ſunt: ideſt, circa ipſum bonum ſunt Ideæ, & per Ideas omnia. Circa ſecundum, ideſt, Mentem, ſunt ſecunda, ideſt, rationes quæ ſequuntur Ideas. Circa tertium verò tertia, ideſt circa animam mundi formæ.* Conſule , quid per *Bonum, Mentem,*& *Animam* intellexerunt, apud Iuſtum Lipſ. in *Manuduct. ad Stoic. Philoſoph.* & in *Phyſiolog.* præſertim lib.1. *Diſſert.*7.

Theodori Platon. Proc.

Marſil. Ficin.

15 Amelius, etiam Platonicus apud eundem Proclum , *triplicem facit Opificem , & Mentes tres , & Reges tres : eum qui eſt , eum qui habet , eum qui aſpicit. Differunt autem hi , quoniam prima mens verè eſt. Secunda eſt quid intellectuale , quod eſt in ipſo : habet autem ante ſe , & participat omninò ipſum , & propter hoc eſt ſecunda. Tertia verò eſt quidem & ipſe, quod*

Amelij. Procl.

quod in eo intellectuale. Omnis enim mens conſociato intellectuali eadem eſt. Habet autem quod eſt in ſecundo & videt primum. Aſtipulatur Numenius, ibid. dicens : *Primus eſt Pater , ſecundus Creator, tertius denique ipſum Opificium.* Et Plotinus Numenij diſcipulus , inquit : *Deus primus in ſeipſo exiſtens , eſt ſimplex , quod ipſe ſibi ubique coniunctus eſt , nec uſquàm dividuus: at & ſecundus Deus , & tertius eſt unus : verùm oportet noſſe Patrem primum Deum eſſe præ Opifice Deo.* Ita quoque reſpondit Oraculum Apollinis apud Nicephorum Caliſt.

Numenij. Plotin.

Ne me utinam ſupremum infelix ipſe Sacerdos
Sciſciteris de ſancto , ac divino genitore,
Et chara ſobole , & rebus magni induperantis,
Et flatu , qui mundum adſtrictum continet omnem.

16 Omnia amplectitur Auguſtinus , apud Ludovic. Vives in cap. 29. de *Civit. Dei* , lib. 10. *In libris Platonicorum legi* (ait) *etſi non eiſdem verbis , ſententiam Evangelij D. Ioannis: In principio erat Verbum. Æmilius autem Platonicus ſic inquit : Atque hoc erat illud Verbum, per quod ea , quæ facta ſunt , fiebant. Cùm tamen ſemper eſſent , quemadmodum & Heraclitus voluit , & per Iovem Barbarus illi cenſet in ordine , dignitateque principij conſtitutum apud Deum eſſe,& Deum eſſe, & per ipſum omnia facta eſſe , & in ipſo quod factum eſt , vivum , & vitam & ens fuiſſe. Barbarum verò Ioannem dicit. Porrò Nos ex Platone docuimus , Verbo Dei omnia eſſe facta : & ex Plotino Filium Dei eſſe Creatorem. Numenius quoque non vult Deum primum eſſe Creatorem , ſed ſecundum.* Hactenus Vives , ſed non omnia in Auguſtino inveni. Lege lib. 7. *Confeſſ.* cap. 9.

Ludov. Viu.

Platonici Ioannis Evangeliũ commendã.

Auguſt.

Quid Ariſtoteles?

17 Ariſtoteles 1. de Cœlo, cap. 1. *Ipſa tria omnia ſunt , & ter ipſum omni ex parte.* Vide *Tautolog.* 4. in *Expoſit. Literæ , num.* 9. Oracula ſingularia. Quid aliud hinc divinare poſſumus , niſi nonnullam Philoſophos habuiſſe lucem , vel umbram tanti myſterij ? *Mens quidem Opifex una cum Verbo* (ait Triſmegiſtus in Pimandro) *circulos continens, ſuam ad ſe machinam reflexit , eamque volvi à principio ſine principio , ad finem abſque fine præcepit : incipit enim ibi ubi deſinit. Monas Monadem genuit , & in ſe ſuum reflexit amorem.* Expreſsis ferè verbis, Triados patet Sacroſanctæ myſterium : in quo tres Perſonas in eſſentiæ , & naturæ Divinæ unitate ſubſiſtentes, Deum trinum , & unum veneramur. Ni dicamus cum Auguſtino lib. 7. *Confeſſ.* cap. 9. *Legebam immutatam gloriam incorruptionis tuæ in idola & varia ſimulacbra , in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum , & quadrupedum , & ſerpentem ::: Tranſmutaverunt veritatem Dei in mendacium,& coluerunt : & ſervierunt creaturæ potiùs , quam Creatori.*

Mercur. Triſm.

Auguſt.

Quid Cabaliſtæ?

18 Denique in Cabala Hebræorum arcanum emicat : igitur numerantur tres emanationes, ſive exiſtendi modi in unitate maximè una, & perfectiſsima. Nulla diviſio cùm tamen ratione proceſſus alia ab altera ordine ſuo , tanquam prior , aut poſterior diſtinguatur : Unde quælibet perſonarum ſive hypoſtaſeon in ſe ipſa mēſurari, aut circumſcribi minimè poteſt. In *Iezirah* (ſeu libro *Formationis*) quæ ſcripta fuit , ut illi autumant , à Patriarcha Abrahamo, tres conſiderantur propietates (quas *Midoth* vocant) in Deo. Prima dicitur *Kœther*, ſive *Corona*: ſecunda *Chochma*, ſeu *Sapientia*: tertia *Binah* , ſcilicèt , *Intelligentia.* Quas ita deſcribit quiſquis libri eſt Auctor in *Explanat.*32. *Sapientiæ ſemitarum. Semita prima* (infit) *eſt intelligentia admirabilis & abſcondita , Corona ſumma. Eſt enim lumen dans intelligere primordialitatem ſine principio , & eſt gloria prima , nulla enim creaturarum valet aſſequi eſſentiam eius. Secunda ſemita vocatur intelligentia illuminans , & illa eſt corona creationis , & ſplendor unitatis maximè æqualis , quæ ſuprà omne caput eſt exaltata , & vocatur ſecundum Cabaliſtas, Gloria ſecunda. Tertia ſemita vocatur intelligentia ſanctificans , & ipſa eſt baſis, ſeu fundamentum Sapientiæ primordialis, quæ vocatur Artifex fidei , & radices eius veritas.* Ubi Rab. Abraham ita loquitur : *Prima proprietas in Deo eſt intelligentia admirabilis & abſcondita, Corona prima, Mens ſumma,& prima poteſtas. Secunda verò eſt gloria ſecunda , cauſa cauſarum, corona creationis, ſplendor unitatis,& Mens ſecunda. Tertia eſt intelligentia ſanctificans,& Spiritus vivificus.*

Rab. Abrah.

19 Sat ſit ergo pro digreſsione , & crepera luce Antiquorum Triunius Dei. Superſedeo igitur, ne ultrà menſuram protrahar. Si plura deſideras, adi Chalcidium in Platonis Timæum, Beſſarionem Cardin. lib.2. *Apologiæ Platon.* Auguſtinum Eugubin. de *Perenni Philoſoph. lib.* 2. *cap.*3. ex Theologis Schol. D.Thom. *Opuſc.*70. q.1. art.4. ad 8.& 9. Ægid. in 2. *Diſtinct.* 9. q.2. art.1. & Iacob. de Valentia ſup. *Te Deum.* Per umbram ergo patet claritas in Tautologiæ teſtimonio. Myſterij Sacroſanctæ Trinitatis. *Faciamus*, ait : ecce Trinitas : *Et creavit Deus hominem* : ecce unitas. Intendit Moyſes expreſsionem Hiſpoſtaſeon diſcretionis , & eſſentiæ divinæ ſimplicis unitatis, dicens: *In principio creavit Deus cœlum,& terram.* Geneſ. 1. v.1.

Geneſ.

Hebr. Hamer. Chald.

v.1.ubi Hebr. *In principio Elohim* (*Iudices, Dij* uti legit Hamer. apud Haye in *Bibl. Maxima* cum Chald.) *creavit cœlum,& terram. Creavit* ſignat unitatem eſſentiæ, *Elohim* Perſonarum diſtinctionem.

Haud formavit Deus ideam Hominis, qua ſigillarentur ſingularia. Phil.Iud. Plat.

20 *Faciamus Hominem.* Haud cogites duntaxàt per *hominem* corpus hominis; eo modo quo intelligitur cap. 2. v. 7. ubi: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Ubi *Hominem*, ideſt *hominis corpus.* Nec etiam intelligas ideam hominis, per quam ſigillantur individua, & à qua deſcendit tanquam ab exemplari ſingulorum natura; ſicut ſomniavit Philo Iud. de *Mundi Opificio*, cum legiſſet Platonem in *Timæo.*

Tempore nocturno redijt amica quies.

Nullus gravior ſomnus, quàm vigilantis. Hic per *hominem* debemus intelligere Adamum, hominem phyſicum (protogenem futurum hominum) ideſt coſtitutum ex corpore, & anima unitis, illo terreo, hac ſpiritali & incorruptibili; in qua pulcherrimè ineſſet imago, & ſimilitudo Deitatis: in corpore verò forma tantùm & ſpecies intimæ pulchritudinis: de quo PP. & Interpretes conſulas, maximè Auguſtinum de *Trinit.* lib. 10. cap. 2. & lib. 14. cap. 8. Ambr. *lib.* 6. in *Hexaëm.* cap. 8. Baſil. ubi ſupr. *Homil.* 10. Bernard. *Serm.* 24. in *Cantic.* Haye, Maluend. Caietan. Lyr. Perer. & Alapide hic. Nos fusè *Tautolog.* 4. in *Lit. Expoſ.*

Homo conſtat ex anima & corpore unitis. Oleaſter. Eugub. *Qualiter homo Dei imago? Deus eſt incorporeus.* Alcim. Avit. *Anima tantùm eſt imago Deitatis.* Cyprian.

21 *Ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Perperam Oleaſter hic, & Eugubinus in *Comoſpœia* affirmant, Deum aſſumpſiſſe ſpeciem hominis, ut homo fieret ad imaginem, & ſimilitudinem Deitatis. Quod quàm inſulſum, rationali patet, imò ut appoſitiùs dicam, & bardiori Minervæ. Plus aberrant ab ſcopo veritatis Anthropomorphitæ, de quibus Auguſtinus, Philaſtrius, Iſidorus, Alphonſ. à Caſtro adv. *Hæreſ.* & noviſsimè Petrus Annatus in *Methodico ad Theolog. Poſitiv. lib. 7. art.* 1. aſſerentes, Deum eſſe corporeum, haud alia cauſa niſi quia homo, qui ad ſimilitudinem eius factus eſt, eſt corporeus, & materialis. Homo, ut dixi, ſecundùm craſſam, luteamque ſubſtantiam, non eſt imago, ſed in quo reſplendet imago Dei.

Nunc formetur homo, ſummum quem tangat imago
Numinis, & noſtram, celſo donatus honore,
Induat interiùs formoſa mente figuram.

Accinuit graphicè Alcimus Avitus lib. 1. de *Origin. Mundi*, v. 56. & Cyprianus in ſua *Geneſi* v. 28.

——— Noſtris hominem faciamus ad unguem
Vultibus ad ſimilem, toto qui regnet in orbe.

Denique Hilarius Pictav. in *Geneſ.* ad Leonem Papam, v. 119.

Hilar.

Sed faciamus, ait, Hominem, cui vultus imago
Noſter erit.

Ac v. 130. exprimit ſedem, & honorem imaginis & ſimilitudinem Deitatis.

Idem. *Corpus verò in quo relucet Deitatis imago.*

Nam tibi multa Deus naſcenti contulit ultrò,
Ætheram faciem primùm vultumque paternum.
Atque domum divæ pectus rationis, & alti
Sedem conſilij, fundendæ vocis honorem,
Hæc ſoli conceſſa homini.

Stoici eſſentias rerum vocabant corpora. Iuſt. Lipſ.

Minimè in aſſumptitio corpore apparuit Opifex, ad hoc quòd faceret hominem ad ſui imaginem & ſimilitudinem. Nec ex imagine colligitur corporeitas, igitur corpus hominis non eſt imago Deitatis; ſed anima, quæ quidem ſpiritus eſt, & *Spiritus eſt Deus*: uti dicitur *Ioann.* cap. 4. v. 24. & 2. *Cor.* 3. v. 17. Corporeitatem in Deo alio capite cogitarunt Stoici, nimirùm corpus eſſe quicquid erat; & non eſſe, quod non corpus. Vide plura & pulchra huic errori atteſtantia nugamenta apud Iuſtum Lipſ. lib. 2. *Phyſiolog. Stoic. Diſſert.* 4. & 5. Aliàs de hoc ſermo.

Imago Deitatis animæ inhærens, in quo conſiſtat?

22 In quo ſita ſit imago, & Deitatis ſimilitudo, an idem, vel quid diſtinctum enuncient, variant AA. Quot capita; tot ſententiæ. Vide Theodoretum hic. Baſil. *Homil.* 10. in *Hexaëm.* Gregor. Nyſſen. *Homil.* de *Creation. Homin.* Damaſc. de *Fide Orthod.* lib. 2. cap. 12. Bernard. *Serm.* 80. in *Cant.* Cyril. lib. 1. contr. *Iulian.* Ambroſ. latè in *Hexaëm.* Anſelm. *Meditat.* 2. Gregor. Mag. lib. 9. *Moral* in Iob cap. 27. demùm Auguſt. paſsim in lib. de *Trinit.* de *Quantitate Animæ*, cap. 2. *Tract.* 8. in 1. *Epiſt.* Ioann. & lib. 13. *Confeſſ.* cap. 11. ubi ſic ait: *Longè aliud ſunt iſta tria, quàm illa Trinitas. Dico autem hæc tria, eſſe, noſſe, velle. Sum enim, & novi, & volo. Sum ſciens, & volens: & ſcio eſſe, me, & velle: & volo eſſe, & ſcire. In his igitur tribus quàm ſit inſeparabilis vita, & una vita & una mens, & una eſſentia; quàm denique inſeparabilis diſtinctio, & tamen diſtinctio, videat qui poteſt.*

Auguſt.

23 Quid diſtinctum ſunt ex mea ſententia imago & ſimilitudo. In diverſis diverſa legi, nec,

nec vacat ſingulorum opiniones exponere. Quantum arbitror, imago Dei ſit in homine per naturam, ſimilitudo verò per gratiam. Præſtat ergo imago per principantem rationem, ſed ſimilitudo per gratiam ſanctificantem. Abs re etenim idem iudicabuntur, ſi ſeparari poſſunt. *Licet humana mens non ſit eius naturæ, cuius Deus eſt; imago tamen illius, quo nihil melius eſt, ibi quærenda & invenienda eſt, quo natura noſtra nihil habet melius, ideſt, in mente* (ait Auguſtin. *lib.* 14. de *Trinit. cap.* 8.) *In ipſa enim mente, antequam ſi particeps Dei, eius imago reperitur. Etſi enim amiſſa Dei participatione deformis ſit; imago Dei tamen permanet. Eo enim ipſo imago Dei eſt mens, quo capax eius eſt, eiuſque particeps eſſe poteſt.* Imago quit eſſe ſine ſimilitudine, ideo deformis: at ſimilitudo nequit eſſe, niſi in imagine. Manſit imago Deitatis adhuc in Adamo peccatore, verùm ſimilitudo fugit, illo peccante. Quo intelligitur illud Eccli. 17. v. 1. & 2. *Deus creavit de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum: & iterùm convertit illum in ipſam, & ſecundum ſe veſtivit illum virtute.* Amiſit homo imago Deitatis ſimilitudinem propter tranſgreſsionem legis: ſed Conditor verè pius, verè miſericors, iterùm convertit illum in ipſam, quia veſtivit illum virtute, elargiendo gratiam; qua imagini reſtituitur ſimilitudo venuſta, à legis prævaricatione deturpata. Unde Salomon *Sapient.* 10. v. 1. *Hæc illum, qui primus formatus à Deo pater orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodivit, & eduxit illum à delicto ſuo.* Quo pacto reſtaurata eſt imaginis ſimilitudo à Divino Verbo Incarnato; *ut homo curſibus eiſdem, quibus dilapſus fuerat ad mortem, rediret ad vitam*, uti dicit Chryſologus *Serm.* 142. fusè vide *Tautolog.* 8. *Didaſc.* 9. per tot. De ſimilitudine & imagine diſputant DD. Scholaſtici cum Magiſt. lib 2. *Sent. Diſt.* 16. & Angelico Doctore 1. p. q. 93.

Imago Deitatis eſt homo per rationalem naturam, ſimilitudo per ſanctificantem gratiam. Auguſt.

Eccli. *Reſtituta eſt conformitas ſimilitudinis, deformi per peccatum imagini homini.* Sapient. Chryſol.

24 *Et præſit.* De iſthac præſidentia plura diximus, & licet tremuli per extentum funem greſſus direximus. Nihil ultrà adiungemus, niſi quaſi expoſitionem, Sacrorum Vatum paraphraſim liberiorem. Cyprianus, vel Tertulianus ubi ſup. v. 16.

Cyprian.

Stellas tremulo radiantes lumine finxit.
——— Accipiunt liquentia flumina piſces,
Et volucres varias ſuſpendunt aëre pennas:
Quadrupedumque greges totos diffudit in agros:
Cunctaque multiplici mandavit creſcere paſsim
Gramine, & immenſis errare, & paſcere terris,
Hæc ubi conſtituit divina potentia iuſſu,
Rectorem inſpiciens mundanis defore rebus;
Faciamus ait, &c.

Homo rector rerum mũdanarum. Dracont. *Et princeps à natura.*

Dracontius de *Opere Sex Dier.* v. 213.

Omnibus his genitis, animal rationis amicum
Formatur virtute Dei, limatur in artus,
Ut dominator eat, moderantior omnibus iſtis,
Naturæ iuſſu, quæ protulit omnia princeps.

Hilarius etiam loco cit. v. 11.

His ubi perfectis, genitor iam divite mundo
Cuncta videt magni curam depoſcere regis,
Qui mare, qui terras, atque omnia nata gubernet.
Quique altum ſpectet cœlum, laudetque potentis
Munera magna Dei, ne ſint hæc condita fruſtrà:
Tunc faciamus, ait, hominem.

Hilar. *Cuncta expectabant hominẽ regem.*

Denique Alcim. Avitus lib. 1. de *Origin. Mundi*, v. 60.

Alcim.

Qui regat æterno ſubiectum pondere mundum,
Bruta domet, legem cunctis, ac nomina ponat,
Subijciat pelagus ſævum, ingenioque tenaci
Poſſideat quæcunque videt: cui beſtia frendens
Serviat, & poſito diſcant manſueta furore
Imperium iumenta pati.

Quapropter ut homo rector orbis ſciret, quò extenderetur credita gratis poteſtas; protinùs dicitur:

Gen. 1. 2. & 9. 2. Exod. 7. 18. 21. Num. 11. 22. Iob. 12. 8. Pſ. 8. 8. 9.

25 *Piſcibus maris.* Hunc Hebraiſmum invenies paſsim in Scriptura. Dicunturque *maris*; quia eſt abyſſus aquarum, in queis vivunt, quaſi in proprio & naturali elemento, & ſine quibus computreſcunt, ſicut dicit Iſaias *cap.* 50. v. 2. Hæc piſcibus aſsignantur domicilia, ſicut pecoribus terra. Proinde Plautus in *Trinummo. Act.* 4. *Scen.* 1. v. 15.

Bene-

Plaut.
Benèque omnia. Ita unà mecum paſſim cœruleos per campos.

Virgilius *Georgic.*4.v.388.

Virgil.
—— Magnum qui piſcibus æquor.

At ab impoſsibili argumentatur *Bucolic. Ecglog.*1.v.61.

Idem.
Et freta deſtituant nudos in littore piſces.

Cur dicuntur piſces maris? Ovid.
Quòd eſtò in aqua (quia univerſali cataclyſmo omnia pontus erant, deerant quoque littora ponto) inducit Ovidius piſces maris in terra aquis oppleta, perculſos admiratione. Eleganti igitur proſopopœia ita accinit lib.1. *Metam. Fabul.*7.

Et modò qua graciles gramen carpſere capellæ
Nunc ibi deformes ponunt ſua corpora Phocæ.
Mirantur ſub aqua lucos, urbeſque, domoſque
Nereides : ſilvaſque tenent delphines, & altis
Incurvant ramis, agitataque robora pulſant.

Iccirco quoniam degunt ſub aquis, æquor dicitur *Piſcoſum* apud eundem lib. 3. *Faſtor.*

Idem.
Eſt prope piſcoſos lapidoſi Cratidis amnes
Parvus ager.

V. Mart.
Et Val. Martialis lib.10. *Epigram.*37.

Illic piſcoſo modò vix educta profundo.

Alc. Avit.
Signatur ergo piſcibus aqua quaſi centrum : Qua de re Alcim. Avit. ubi ſupr. *verſ.*35.

—— Clauſi vaſto ſub gurgite piſces
Reſpirant lymphis, ſlatuſque ſub æquore ducunt
Quæque negant nobis, illis dant humida vitam.

Homo etenim conſtituendus, qui non ſolùm beſtijs terræ, ubi habitaturus, & unde conflatus; præſit; ſed etiam aquatilibus, alitibuſque, uti ſubiungitur.

Geneſ. 1. 19. Volatilia cœli? Pſal.77.27 & 148.10. Pennatæ?
26 *Volatilibus cœli.* Hic etiam modus loquendi teritur in Sacra Pagina, & patet locis not. & alibi ſæpe; ut aves demonſtrentur, quæ quidem propriè volant; igitur volatus ineſt duntaxàt alas habentibus. Quapropter à Pſalmographo dicitur : *Volatilia pennata*, & *Volucres pennatæ.* Quod quidem improprium non eſt. Conſtat etiam apud Profanos intentum geminationis. Ex quo illud decantatum de Sphinge apud Auſonium *Edyl.* 15. & Heſiodum in *Theogon.*

Auſon.
Fronte puella, alata eſt, volucris Virgo.

Ovidius lib.1. *Metamorph. Fabul.*10.

Ovid.
In mare laſſatis volucris vaga decidit alis.

Sanct.
Quin etiam apud Sacros Interpretes. Doctiſsim. Gaſp. Sanctius in *Periph.* cap.7. Daniel, v.6. dicit : *Quatuor pennata alis.*

Improprium inquam non eſt. Primò per *Emphaſim* : quippe haud dicuntur *Volucres pennatæ*, quia pennis (quod liquet) conſtant; ſed quoniam valent. Quo circa Lucretius lib.5. canit:

Lucret.
—— Corpore pennipotentum.

Quaſi pennis ad volatum habilibus. Nam aliud eſt, volucres eſſe, aliud eſſe pennatas, & ad volatum potentes, ut patet in anſere, & ſtruthiocamelo, qui magis varicant, quàm volant : & tamen ut ad curſum adiuventur, pennas habent. Vide Plinium *lib.*10. *cap.*1. & Raviſ. Text. in *Offic. lib.*7. *cap.*42.

Penna propriè ex pluma. Baptiſt. Pius. Calent. Stat.
27 Deinde. *Volatilia* dicuntur *pennata*, ob piſcium, & aliorum pennatorum diſcrimen: ſiquidem alæ piſcium vocantur pinnæ, quaſi pennæ. Non pennæ re vera (quamvis à Varrone *lib.*3. de *Re ruſtica, cap.*7. uſurpetur *penna*, quaſi generale nomen ad pennas, & pinnas.) igitur, ni fallebar, penna propriè ex pluma. Ideo Baptiſta Pius, Calētius, & Statius lib.5. *Thebaid.*

Plumigeras quot habet volucres agitabilis aer,
Pennatarumque volucrum;
At veluti aligeræ ſedem, fœtuſque parentis.

Apulei. Quænam volucres pinnatæ, non pennatæ. Genebr. Feſt. & Pl. cum Rav. Text.
Etiam Apuleius lib.11. de *Aſin. Aur.* aſtipulatur acceptioni, dicens : *Quos in ſpeciem pennatæ alitis generat.* Quod quidem nec de piſcibus, nec de alijs pennatis dici poteſt: quandoquidem ex membranulis alæ conficiuntur. Videtur ita in muſca, api, veſpa, locuſta, veſpertilione (qui mus alatus) & inſectis; quæ dici poſſunt reptilia pennata, ut notat Gil. Genebrardus in *Pſalm.* 148. cit. non verò volucres, quippe pennæ haud compactæ ſunt ex plumis. Quapropter Feſtus de Veſpertilione loquens infit : *Volat enim pinnatis* (non pennatis) *alis, ſed inter volucres non eſt habendus, quod quatuor pedibus graditur, pulloſque parit, non ova, quos & lacte nutrit.* Vide Plinium *lib.* 10. *cap.* 61. & Rav. Textor. in *Officin. lib.* 7. *cap.*42.

Præ-

28 Præterea. Aves dicuntur *Volucres*, ſeu *Volatilia pennata*, vel propter epithetum, ut placet Lorino, vel propter exergaſiam, ſive expoſitionem politiorem, & perſpicuiorem, ut magis explicetur pernicitas. Quod verè dici nequit de formicis, & alijs inſectis, cum aliqua interruptè volitent, & alia ſaltent. Hinc Apollinarius, *Pennis exilientes* vocat. Secus verò de volucribus aſtruitur: etenim & propter regionem propriam, & ob differentiam volatus, dicuntur *Leves*, *aëriæ & pendentes* à Poëtis. Marullus:
Lorin. Apollin.

Aëriumque leves ſpargis per inane volucres. Marul.

Ovidius lib. 1. de *Art.*

Nec nos aëriæ voce movemur avis. Ovid.

Lucretius *lib.* 1. de *Rer. Natur.*

Aëriæ primùm volucres te Diva, tuumque
Significant. Lucret.

Denique Manil. *lib.* 2. *Aſtronom.*

Pendentemque ſuo volucrem deprehendere cœlo. Manil.

Diſcrimen volatus, & inceſſus Avium conſule, apud Plinium *lib.* 10. *cap.* 38.

29 Ulterius. *Volatile* quoque dicitur de *volucri*, & econtrà: igitur vox transfertur ad alia, quæ celeriter fiunt *O falſam ſpem, ò volucrem fortunam!* Dixit Cicer. *Orat.* pro *Syll.* & pro *Plancio* etiam: *Nihil eſt tàm volucre, quàm maledictum.* Et Seneca de *Conſolat* ad Martiam: *Volucri cogitatione, divina perluſtrat.* Vulgareque apud Poëtas volatus pro celeritate. Terentius in *Heautontimorumen. Act.*4. *Vola*, dicit : Ideſt, curre celeriter. Virgilius lib. 1. *Æneid. Saxa volant*, & lib.3. *Fama volat.* Ovidius lib.3. *Triſt. Eleg. 9. Navis volat.* & lib. 2. *Metam. Volat alite Virgo.* Et poſtremò Martialis *Spectacul.* Epigram. 15.
Volucre pro celeri. Cicer. Senec. Terent. Virgil. Ovid.

Et volucrem longo porrexit vulnere pardum. Mart.

Sic etiam *Volatilis ætas*, *volatile ferrum*, *longèque volante ſagitta.* Quod quidem alienum non eſt à Sacris literis: etenim Pſalm.90.v.6. dicitur : *A ſagitta volante.* Ut ergo pateat quid propriè, & quid metaphoricè volat; additur.
Pſalm.

30 *Cœli.* Non ætherie, ideſt, totius illius machinæ, quæ ſupra elementarem ignis ſphæram imminet undecunque telluri; de qua Pſalm.113.v. 16. *Cœlum cœli Domino* : & Geneſ. 1. v. 1. *In principio creavit Deus cœlum.* Sed aërei, ſenſu quo Pſalm. 17. v. 14. *Intonuit de cœlo Dominus.* Apud Poëtas, & Rethores identidem : Virgilius lib. 7. *Æneid.* v. 141.
Cœlum pro aere. Pſalm. Geneſ. Virgil.

Hic Pater omnipotens ter cœlo clarus ab alto
Intonuit.

Ovidius lib. 1. *Faſtor.* & 2. de *Arte*:

Et vitium cœli ſenſerit ægra ſui. Ovid.

Et Propertius lib. 2. *Eleg.* 28.

Sed nec tam ardoris culpa eſt, neque crimina cœli. Propert.

Livius ad *Urb. condit. lib.* 4. *Siccitate eo anno plurimum laboratum eſt : neque cœleſtes modò defuerunt aquæ, ſed terræ quoque.* Plinius *lib* 2. *cap.* 11. *Hoc cœlum appellavere maiores, quod alio nomine aera. Hinc grandines ſunt, & pruinæ, imbres, procellæ, turbines ventorum.* Crebrò Cornelius Tacitus voce *Cœli* utitur in hac acceptione, lib.2. *Annal. cap.*2. & 11. 4. *Hiſtor.* 1. 28. & 5. 7. & de *Morib. Germanor.* cap. 1. & 2.
Tit. Liv. Plin.

His igitur teſtimonijs liquet, nomine *Cœli* aërem ſignificari : & quia *Cœlum* vocamus id, quod ſupra nos : & quia aves volant ante *Faciem cœli*, ut notat Oleaſter hic : vel etiam quia aërem pennis ſecant, eſtque proprium alitibus elementum, ſicut aquatilibus unda, reliquis terra. Ita Sacri Vates Marius Victor, Hilarius, Cyprianus, Dracontius, & Alcimus Avitus, ubi ſupr. quorum ſententijs ſuperſedeo. Ita quoque Interpretes, & Ss. PP. Dicere namque : *Faciamus hominem & præſit piſcibus maris, volatilibus cœli, & beſtijs, univerſæque terræ*; eſt planè expreſsio conferendi dominij Adamo in cuncta animalia : haud tantùm illorum in terra ſicut homo degentium, ſed volucrum, & piſcium; quæ quidem pro libito hominis in ſtatu innocentiæ obtemperarent, ac ſine violentia illius nutibus obedirent. Comprehendit cuncta Virgilius *Georgic.* 3. cantans, v. 243.
Cur dicuntur volatilia cœli? Oleaſter.

Omne adeo genus in terris ::: ferarumque
Et genus æquoreum pecudes, pictæque volucres. Virgil.

Ideſt, trium elementorum animalium (quæ frequenter vocantur *Anima vivens*) piſcium nimirùm maris, altilium aëris, pecudumque telluris. In cœlum Protoplaſtus gratia originali attollitur, & muneribus dignatus gratis effertur : at infelix præcepti tranſgreſsione è cœlo detrahitur.

31 *Et beſtijs.* Quibuſnam ergo? Complectitur Paulus ad *Rom.* 1. 23. dicens : *Et volucrum,* Roman.

D. Thom.

crum , & quadrupedum , & ſerpentium. Quapropter D. Thom. 1. p. q. 72. ad 2.ait. *Per iumenta vel pecora intelliguntur animalia domeſtica , quæ homini ſerviunt qualitercunque. Per beſtias autem,intelliguntur animalia ſæva , ut urſi & leones. Per reptilia verò , animalia , quæ vel non habent pedes, quibus eleventur à terra , ut ſerpentes : vel habent breves , quibus parùm elevantur , ut lacertæ , & formicæ. Sed quia ſunt quædam animalia , quæ ſub nullo horum comprehenduntur , ut cervi , & caprei ; ut etiam iſta comprehenderentur , addidit quadrupedia.* Unde Hilarius ubi ſupr. v. 108.

Hilar.

Diverſa exoritur variarum forma ferarum,
Quadrupedes animæ , necnon repentia terris.

Et Marius Victor *lib.* 1. v. 137.

Mar. Vict.

———— *Iuſsit Deus edere terram*
Omne animal ratio vegetat quod ſola movendi , &c.

Quid reptile terræ?

32 *Omnique reptili, quod movetur in terra.* Additur *in terra* , quia eſt reptile , quod movetur in aqua.Ideo v.20.dicitur: *Producant aquæ reptile animæ viventis.* Ideſt piſces , de quo ſubinde. Nec inferas ex teſtimonio , omnes piſces reptare , quandoquidem vituli marini , & phocæ habent pedes,quibus gradiuntur in terra:igitur ut præcluderetur obiectio,v. 21. Textus inſit : *Creavit Deus cete grandia , & omnem animam viventem , atque motabilem , quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas.*

Genes. 8. 17.19.

Reptile etenim dicitur quicquid ſerpit, vel tardigradum eſt , aut parum pedibus elevatur; quorum motus in terreſtribus geminatione exprimitur , ut *Geneſ.* 8. v. 17. *Reptilibus quæ reptant:*& v.19.*Reptilia,quæ reptant ſuper terram.*Et propter diſcrimen piſcium , qui (ut vidimus)etiam vocantur *reptile*,quamvis non ſint reptile reptans,ſed reptile natans ; & propter quædam reptilia adhuc in terra,quæ ſunt *reptilia quadrupedia,ut lacertæ , & formicæ* , uti ait D.Th. ubi dudùm , & non reptilia reptantia , vel repentia.

Serpens ante hominis peccatum etiam reptabat.

Aliquibus placuit geminationem huiuſmodi reptilibus apponi, ut notarentur in reptilibus ſerpentes pennati , vel dracones , quod creperum. Proin in mundi exordio altis pedibus extitiſſe ſerpentem , quippe illud *cap.* 3. v. 14. *Super pectus tuum gradieris* , in pœnam inflictum , aſſerunt. Haud nobis placet ratiocinium : ſiquidem ſerpere adeo iuxtà ipſius naturam, ſicut comedere terram. Additur enim reptare in reptilibus terræ , & propter dicta , & ut in cunctа hominis clareſcat iuriſdictio. Animalia , & animantia locomotionibus diſtinguuntur. Propter quod ut in omnia & in omnibus Protoplaſti exprimatur principatus; dicitur : *Faciamus hominem,ut præſit piſcibus maris*, natantibus : *Et volatilibus cœli*, volucribus : *Et beſtijs terræ*,ungulis incedentibus : *Omnique reptili* , quomodocunque reptanti. *Serpens* , vel *reptile* nomen generale eſt:in ſpecie namque dicimus ſerpentes ignitos , regulos , viperas , dipſades, hydros,amphiſbænas , ceraſtas , & reliqua. Colubrum ſignificamus , nihil addentes. Unde vel iuxtà proprietatem illorum,vel iuxtà vernaculæ linguæ uſum,nomina reptilibus imponuntur. *Serpens* dicitur à ſerpendo;coluber,quia lubricè labitur,vel dilabitur,aut umbras excolit: anguis denique , aut hydrus , quia in aqua degit. Ita Iſidorus in *Etymolog.* Alapide , Oleaſter Genebrardus , & Plinius *lib.* 32. *cap.* 5.

Serpens nomen generale eſt. Quid? *Coluber? Anguis?* Iſidorus & alij.

Varietas lectien.

33 Haud diſtinctio niſi in numeris Verſionibus ineſt. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Chald. *Ad imaginem noſtram , ſicut ſimilitudo noſtra.* Caietan. *Ad imaginem noſtri , ſicut ſimilitudinem noſtri.* Ar. Mont. *In imagine noſtra , ſecundùm ſimilitudinem noſtram.*Oleaſter *In umbra noſtra.* Perſ. *Sicut forma noſtra. Et præſit.* Septuag. *Et habeat principatum.*Chald. *Et dominatur.* Caietan. *Et ſubiugabunt.* Caten. Græc. *Imperent.* Ita Chryſoſt.Procop. & Pagninus. *Piſcibus maris , & volatibus cœli , & beſtijs.* Septuag. *Piſcium maris , & volatilium cœli , & pecorum & omnis terræ.* Chald. *In piſces maris , & in volatilia cœlorum,& in iumenta, & in omnem terram.* Caietan. *In piſce maris , & in volatili cœlorum, & in iumento. Omnique reptili quod movetur.* Septuag. *Et omnium reptilium repentium.* Chald. *Et in omni reptili , quod reptat ſuper terram.* Denique Caietan. *Et in omni reptili reptanti ſuper terram.* Cominùs ergo accedamus ad inſtructionem morum.

ADINATON EXEGETICUM.

Epilogus excurſ.

1 F*Aciamus.* Nec facilius verbum , nec difficilius.
2 *Hominem* : ingratus prænoſcitur , ſed quia ingratus.
3 *Ad imaginem , ut præſit.* Turpiter regimen, ni regat imago.
4 *Ut præſit.* Quia non præfuit, concidit.
5 *Hominem,ut præſit.*Ratio præſupponitur, ſed non exprimitur.
6 *Hominem, ut præſit.* Dignitas quippe ſupereminet homine.

Piſci-

7 *Piſcibus maris* , ne confundat miniſteria.
8 *Volatilibus cœli*,ut omnibus omnia.
9 *Et beſtijs.*Etiam in patria?Lucidiſsimum imperium,eſtò beſtiarum.
10 *Et beſtijs.*Nec quia propiores Principi, liberantur ab onere.
11 *Omnique reptili.*Quamvis venena ſubdita, venena.
12 *Quod movetur.* Præſit homo , ne moveatur.

DIDASCALIA PRIMA.

De nihilo creata creatura levis eſt.

Rupert. *Homines ingrati gratis.* Bernard. Ibid.

1 DE homine, & Angelo meritò dixit Rupertus de *Victor.Verb. Dei, lib.* 2. *cap.* 12. Eadem mole beneficij ingratus uterque. Qui oblitus eſt , ingratiſsimus omnium.*Gratis ingrati ſunt*,dicit Bernardus *Serm.*14.in *Pſalm.*90. Horologij inſtar leviores pondere gratiarum extiterunt. *Neuter tanti honoris pondus* (inſit Abbas Tuicienſis) *humiliter ferre potuit.* Dominium humilibus onus leve,ſuperciliosis verò principatus pondus , & pondus leviſsimè grave. Sed unde iſte homini faſtus ? E pulvere quidem erectus, & ex pulvere mirificè conſtitutus. Et tumet incunabulis , natus in herbis? Quid Angelus?Corruit,& irrevocabili exitu, ad tantum ac talem honorem ſublimatus ex nihilo. Uterque levis: ſed quare? Non eſt ex nihilo homo,ſed ex limo fit,homo è terra,ne allideretur opus meditato intentum ; quia evanuit primum è nihilo factum. *Faciamus hominem* de terra.Sententia facilis,at in opere difficillima conſtantia. Utrobique periculum.Neuter poterit ferre humiliter principatum : igitur in hominibus idem eſt erigi è pulvere , ac ex nihilo condi.

Electio plerũque periculoſa. Geneſ. 1.26.

Qua cauſa?

Cauſa patet. Facere præſupponit ſubiectum , creatio nihilum. Quale etenim nullo præſuppoſito in dignitatis faſtigio elucebit conſilium, dum deſipit iſtiuſmodi præſuppoſitum ſubiectum? Proceres ſuperbia elati,vel potiùs ſi ex fuligine educti,ut fumos vendãt, & potentiam inſperatam inflent , quoſvis, qualeſcumque quomodolibet eveunt ad culminis dignitatem , intendentes creationem. O magni!Ludrica phantaſiæ cogitatio,igitur homini repugnat opus ex nihilo.Dicam, *Dij eſtis* ? Opus loquatur : ex nihilo celſitudini opus erigitur. Quid? Homo promittitur ſpectandus , & deridetur turpis cercopitechus. Ecce homo. Ergo ſtatuam cum artificio materiam ſubminiſtras;& opus perdis,quia ſubminiſtras materiam. Homo ex aliquo præſuppoſito eſt. Ex nihilo adhuc politicè nihil fit,etenim ex nihilo non fit homo. *Faciamus.* Nota ſplendet auctoritatis. *Faciamus.* Vendicati privilegium honoris. *Faciamus hominem*, dicit ſuperbus auctoratus. Verùm quomodò facies? Faciens? Potens?De hoc nobis fusè ſermo *Tom.* 4. *Tautolog.* 2. & *Tom.* 5. *Tautolog.*1. ad illud 1.*Reg.* cap.25. v.28. & cap.26. v.25. *Faciens facies , potens poteris.* Creando facies? Implicas in terminis.*Faciamus.* Facilis prolatio , ſed difficillima arrogantiæ conſecutio, quandoquidem ex nihilo creatura levis. Intende igitur meditanter in opus mirificum individuæ Trinitatis.

Faciamus facile verbum.

Geneſ. 1.26.

2 *In principio creavit Deus cœlum & terram* : poſt verò terræ , cœlorumque ornamentum , ac venuſtatem rerum omnium utriuſque in orbis ambitu contentarum.Ipſe dixit , & facta ſunt. Ad hominem præſidem futurum(quaſi conſulendo,ut ex Ruperto in Expoſitione Literæ vidimus)accedens,dixit: *Faciamus.* Ad quem ergo huiuſmodi ſermo? Licet operationes Trinitatis ad extra indiſcretæ , in una ſubſtantia ſunt perſonæ diſtinctæ. Ad quam igitur perſonam dirigitur propoſitum ? *Ad filium* (ait Chryſoſt. *Hom.* 8. in *Geneſ.*) *admirabilem conſiliarium.* Ad filium ſpectat vox paterna,priuſquàm hominis conſletur ſtatua? Utique. At quare omne iudicium dedit filio , cum Spiritus Sanctus etiam conveniat divino propoſito?Canon nẹ Principibus patet electionis , dum aſſumitur homo in faſtigium dignitatis. Supprimitur Tertia Divina Perſona , cui amor (affectus cordis) attribuitur à Theologis. Exprimitur ſecunda, quæ ratio Patris vocitatur à Patribus:huicque conſilio Filius tantummodò effingitur conſiliarius;ut in hominis opere omnis à corde eliminetur affectus.

Chryſ.

Exulet affectus in electionibus.

Præterea. Si in hominis opificio Spiritum Sanctum Pater conſuleret & non Filium ; ad præſidem orbis poteſtas traheretur voluntate,non ratione : amore operis, & nequaquam veritate : ac nullo modo Spiritum Sanctum, ſed Filium Pater convocat conſiliarium; quippe tunc erit admirabile conſilium , dum informatione præſidis efficitur,quod intellectus liberè conſulit, non verò quod voluntas temerè intendit.

Aſsideat ratio.

Deinde. Noſtro modo expono divinum conſilium, ut exemplum imitandum. Voluntate divina omnia creata: igitur propter voluntatem erant & creata ſunt. *Creavit Deus*, dicitur:in hominis decreto,*Faciamus.* Iã plura-